



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-803660-p0002-2

DFO

25
Q. D. B. V.
DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
OMNIPRÆSEN-
TIA CHRISTI SE-
CUNDUMCARNEM

QUÆ
SUB PRÆSIDIO
DN. JOH. GVILIELMI BAJERI
SS. THEOLOGIÆ DOCT. ET PROFESSORIS PUBL.
FACULTATIS THEOL. hoc tempore DECANI,
Patroni observandi, Præceptoris omni ho-
noris cultu et atem de venerandi

publicè ventilanda proponitur

AB AUCTORE RESP.

M. JOH. ABRAHAMO KROMAYERO
Ohrdruffio - Thuringo

d. Junii A. M DC LXXXI.

Junii 1691

H. L. Q. C.

JENÆ,
TYPIS GOLLNERIANIS.



DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
OMNIPRÆSEN-TIA CHRISTI
CUNDIDUM CARNEM

SAEPIA
HONORATI MALLEI
PROFESSORIS PETRI
THEOLOGI DOCT. ET PROFESSORIS PETRI
TECHNITATIS THEOLOGICO-PHILOSOPHICAE
PATER

JOHN ARAMA KOMYANUS

Ornithio - Timotheo

July V MDCLXXXII

H. D.

URN:NBN:DE:GBV:3:1-803660-p0004-3

TURINENSIS

293



Clarissimo Doctissimoque
Dn. M. JOHANNI ABRA-
HAMO KROMAYERO

haec tenus S. Theologiæ Cultori , nunc Ministerii Re-
verendi Candidato dignissimo , Fautori & Amico meo
honorando plurimè que dilecto

PRÆSES DISPUTATIONIS

Salutem à Deo per Christum omnigenam!

Ecce uti dies annique nobis decurrunt, carissi-
me mi KROMAYERE , qui jam in an-
num septimum exactā apud nos aetate,
quamvis diu cognitus probatusque mihi sis,
non tamen vel dimidiā temporis parte ad-
fuisse videris. Nimirum conversatio ipsa cum his, quos a-
mamus, moram suam breviorem reddit, abitum verò
prematurum. Nec profectò me pudet, profiteri publicè,
quantum Te amem, qui cùm ingenii bonitate, mentem
religiosam ; cùm doctrinæ sacræ & secularis peritia, vi-
ta & modestiam ita conjunxisti, ut alios ad exemplum Tu-
um conformari, qui eadem studia sequuntur, baud du-
biè deceat. Eruditionis Tuæ in studio sacro, non tantum
nos habest testes, qui disputantem pariter atque è sugge-
stu perorantem sàpè audivimus ; sed nunc publicum ma-
gis documentum præbes, data in lucem dissertatione hac,
proprio studiò , Deo tamen quā largiter benedicente,
abs Te conscripta, quā etiam, qui nostris exercitiis non
intersunt, profectus Tuos velut oculis videant. Ea enim
est præsentis argumenti ratio, quæ plurimarum partium
doctrina Christianæ, quæq; de illis ultrò citroq; disputan-
tur, cognitionem accuratam requirit prius, quā ad sui
tractationem felicem admittat. Itaq; de hoc ipso speci-
mine, deque cursus Academici periodo clausulaque hone-

stā

stā ac laudabili, non possum Tibi non gratulari: præser-
tim quod ad munus Ecclesiasticum posceri Te audio: ubi
materiam simul laborum & patientie; sed & meritorum
in Ecclesiam conferendorum amplissimam offerri vide-
bis. Spero autem omnino futurum, ut, qui Tibi non na-
ture tantum dona, sed & animum sancto studio at-
que officio dignum; conatibus etiam piis successum huc-
usque dedit, Deus Optimus Maximus, jam porrò Te mi-
nistrō, conservatis auctisque χαρισμασ suis, ad nominis
sui sanctificationem, regniq; ampliationem, cum propriā
salute Tua, atque ad solatum gaudiumque venerandi
DN. PARENTIS, (cui Deus clypeus sit & merces ma-
xima!) sit usurus. Ita Te, Amice suavissime, ex Acade-
mico nostro confortio, neutiquam ex animo meo, dimitto:
in Jesu autem nostro valere, & rem omnem benè gerere
jubeo ac precor. Scribeb. Jena d. XVIII. Maji Anno
CIC 155 XCI.

294





PRÆLOQVIUM.

Vadriennum cum semestri elapsum
est, ex quo, studiis adhuc vacans Phi-
losophicis, disputationem de Omni-
præsentia Dei publicè defendi. Ar-
duum semper visum est illud argu-
mentum, sed tamen hoc nomine tra-
ctabilius, quod non sana ratio duntaxat differere
de illo quodammodo potest, verùm lumen quoque
Scripturæ clarissimè id ipsum collustratum exhibit.
E scholis Philosophicis ad Theologicas transiens,
cum in Loco de Christo simile dogma, de humana
Saluatoris natura, propositum expenderem, tempus
& operam non malè me locaturum existimavi, si, spe-
cimen aliquod Theologicum daturus, quæstionem
de Omnipresentia Christi secundum carnem, pro viricu-
larum modulo, paulo pleniùs elaborarem. Sed
quàm difficilis & intricata hæc sit tractatio, nemini
non constabit, qui vel primoribus labris Theologi-
am degustavit. Ut enim jam alia taceam, omnibus
ferè nota sunt sententiarum divortia, & controver-
siae, non sine vehementia inter Doctores agitatæ, tum
superiori, tum præsenti seculo. His tamen non ob-
stantibus, periclitabor vires, & ut certos intra limi-
tes sese contineat hæc opera, haut incommodè to-
tam disputationem ad tres revocabo sectiones: qua-
rum prima, *bistorica*, exhibebit in summa, præsentis

A

con-

controversiæ ortum & progressum ; secunda, *dogmatica*, suster sententiam, Scripturæ librisque Symbolicis convenientem ; tertia, *Polemica*, excutiet argumenta, à recentissimis quibusdam adversariis nobis opposita. Ipse verò Salvator, de cuius præsentia jam agendum, præsens sit mihi Spiritus S. gratiâ, qui me ducat in omnem veritatem, ad gloriam nominis sui benedicti.

SECTIO I HISTORICA.

§. I.

Væstio de omnipræsentia carnis Christi, prout hodie quidem ventilatur, recentior est, quippe de qua inter primitivæ Ecclesiæ Doctores, deficiente occasione, lis haut extitit : quamvis non desint testimonia Patrum, quibus sententia librorum Symbolicorum stabiliri queat ; qualia comparent in *Catalogo testimoniorum*, ad calcem libri *Concordiae* adjecto, ex quibus cum primis huc faciunt, quæ c. IX. & X. ex *Theophylacto* & *Cyrillo* collecta exhibentur. De *Augustino* imprimis movetur dubium, qui in Epist. 57. ita scribit : *Non est consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus.* Nam & de nobis veracissima Scriptura dicit, quod in illo vivimus, movemur & sumus, nec tamen sicut illi ubiq[ue] sumus. Et paucis interjectis : *Una persona Deus & homo est, & utrumque est unus Christus Jesus, ubique per id quod Deus est, in cœlo autem per id quod homo.* Sed quod hæc non ita absolute sint accipienda, patet ex cautela istis verbis omissâ : *Cavendum, ne ita adstruamus divinitatem hominis, ut veritatem corporis auferamus.* Unde *B. Timotheus Kirchnerus*, in scripto Germanico, contra responsionem Theologorum Anhaltinorum p. 70. distingvit inter has

has duas propositiones : *Ubique præsentem esse, ut Deum ipsum;*
& *modo supernaturali in cœlo & terra præsentem esse, vi unio-*
nis personalis; priorem negâsse dicit Augustinum, non ve-
rò posteriorem. Alia, quæ ex Patribus objiciuntur, diluit
B. Martin. *Chemnitius in libell. de duabus nat. in Christo c.*
XXX. p. m. 188. seqq. In genere observandum, Patres, qui
dissentire videntur, vel disputasse contra Manichæos & Eu-
tychianos, qui naturam humanam in divinam conversam,
somniaabant; vel negâsse tantum humanæ naturæ infinitatem
& immensitatem. Videatur etiam *B. Wigandus in de Ubis*
quitate p. 96. s.

§. II. Qvum igitur ex antiquitate multa afferri ne-
queant, à temporibus propioribus repetenda est contro-
versiæ hujus origo. Notanter dico : controversiæ ori-
go ; dogma enim ipsum (quicquid videatur adversariis)
non recens est, quippe in antiqua quoque Ecclesia rece-
ptum. Id igitur tantum hic agimus, ut ex hac historica
relatione pateat, quomodo recentioribus temporibus, illa
doctrina clariùs fuerit proposita, & contra dissentientes
propugnata. Primus autem, qui hoc dogma in Ecclesiam
quasi reduxit, Christumque, secundum humanitatem, plu-
ribus in locis esse docuit, fuit *Gerson, Cancellarius Parisien-*
sis. Is deprehendens infirmitatem fundamentorum, quibus
Pontificii, in Concilio Constantiensi, figmentum Transsub-
stantiationis superstruebant, quæsivit aliud magis idoneum,
& ex unione naturarum in Christo collegit, corpus Salva-
toris, uno eodemque tempore, in pluribus locis existere
posse. Timidè tamen hoc illum afferuisse dicit *Hospinianus,*
in Histor. Sacrament. parte altera p. 63, ne infinitas vel omni-
potentia humanæ naturæ tribueretur ejusmodi, quæ huma-
nam naturam prorsus everteret, & ex homine Deum face-
ret. Quæsi ita habent, eandem Gerson cautionem adhi-
buit, quam Augustinus; unde eò minus ex hujus verbis col-
ligere quis debet, eum inficiatum esse omnipræsentiam huma-
næ Christi naturæ.

§. III. Gersonem seculo superiorisecutus est *Jaco-*
A 2 *bns*



bus Faber Stapulensis , qui tamen ulterius progressus, ex eo-
dem fundamento, unione scilicet personali, omnipræsentiam
Christi hominis ad singulas creaturas, & loca omnia extendit,
cùm Gersoni antea ad S. cœnam suffecisset : ut ita ille omni-
præsentiam seu ubiquitatem, quam vocant, docuerit ; hic
verò multipræsentiam tantùm. Dogma suum A. 1524. Pari-
siis in Sorbona proposuit Faber, sed infelici successu ; quippe
adversarium nactus, Natalem Bedam, ab hoc accusatus, & à Pa-
risiensibus Theologis ita exagitatus fuit, ut desertâ Gallia mi-
graret aliò, apud Margaretam Navarræ Reginam aliquandiu
commoratus. Vid. Hospinianus l. c. & ex adverso B. L. Hutz-
terus Concord. Conc. Cap. I. p. m. 9. 10. Cæterum ejus sententia
clara est ex verbis sequentibus, super 1. Cor. XII : *Vos estis
membra Christi ex parte*, id est, pars membrorum Christi,
non autem omnia membra Christi. Non enim Corinthii fide-
les erant totum corpus Christi : imò neque Europa, neque Asia,
neque Africa capax est plenitudinis Christi, corporis inquam
Christi , cui corpora nostra spirituali modo uniuntur, &c., ut
sic dicam, incorporantur, quod cœlum implet & terram : est
enim, ubique verbum est. Nam verbum caro factum est.
*Quare verbum nusquam est sine carne, neque caro illa sine
verbo.*

§. IV. Subsequente tempore, cùm B. Lutherus rem
haberet cum Zwinglio & Oecolampadio , negantibus præ-
sentiam Christi realem in S. C. , & objicientibus, Christi cor-
pus finitum esse , & in cœlum ascendisse, sedens ad dextram
Dei, ipse quoque vel invitus controversiae de omnipræsentia
implicitus fuit : ubi occursurus objectionibus Zwinglianis,
etiam communicationem idiomatum ursit, adstruens inde
omnipræsentiam Christi secundum carnem. Conf. B. Dn.
D. Musæus in prefat. der Ausführl. Erklärung. Quamvis
autem in colloquio Marpurgensi, hanc sententiam B. Lu-
therum rursus deseruisse, nec illam, ad vitæ usque finem, re-
tinuisse , clamitent adversarii ; hoc tamen falsissimum esse,
facile ostenditur. Nam, licet B. Doctor ibi & alias disputare
noluçrit de Ubiquitate, id tamen ideo factum est , quia in
artic.

artic. de S. Cœna, maximum veritatis robur collocavit in verbis institutionis, non autem in ubiquitate; & istud quidem optimè. Scilicet præcavere voluit, ne Zwingiani, cùm de S. C. disputandum esset, occasione ubiquitatis, dilabentur à proposito, atque aliena tractarent. Vid. B. Wigandus l.c. p. 101. seq., ubi hæc pluribus prosequitur, & multa testimonia affert, ex quibus constantia Lutheri satis elucet. Conf. libellus peculiaris B. Ægidii Hunii de sententia Lutheri, ubi idem firmissimis rationibus evicit. Quod autem attinet ad verba: Von allenthalben soll nicht disputiret werden &c: illa non Lutheri, sed Philippi Melanchthonis esse, probat evidenter laudatus Hunnius in der nöthigen Verantwortung des Concordien Buchs p. 98. Neque ex eo aliquid colligi potest, quod B. Lutherus in articul. Schmalcaldicis, consensum inter nos & Pontificios monstrans, dogma de ubiquitate omisit, quod Pontificii tamen negant: non enim propositum ipsi fuit, omnes articulos, in quibus nobis cum Pontificiis convenit, adducere, sed præcipuos tantum nominasse sufficiebat.

¶ V. Lutheri sententiam amplexus est Job. Timannus, Amsterodamus, minister Ecclesiæ Bremensis, qui in Farragine (citante Hospiniano d.l. p. 282. b.) saepius hanc thesin repetit: Caro Christi ubique est. Quem secutus Jacobus Propositus, ejusdem minister Ecclesiæ, crebro pro conacione dixisse perhibetur: Corpus Christi ubique est, illudque verè in eucharistia, omnibus illis in locis, ubi ea hīc in terris juxta institutionem celebratur, distribuit Christus. Utique se opposuit Albertus Hardenbergius, Bremæ Ecclesiæ cathedralis Pastor, sed id effecit, ut ipse tandem ob dogma suum, & sententia de omnipræsentia impugnationem, Brema ejiceretur. Vid. Hospin. l.c. p. 282. item 296. f. & à nostra parte Hist. Confess. Aug. ad a. 1561. fol. B. Hutterus Conc. Concord. Cap XLIV. p. m. 1035. acta integra, quæ cum A. Hardenbergio hinc inde sunt agitata, sibi ad manus fuisse, quæ justum volumen sola conficerent, memoravit. Eandem doctrinam defendit Joachimus Westphalus, Ec-



clesiae Hamburgensis minister, qui, cùm A. 56. Calvinus Ecclesiam Hamburgensem, veneno suæ doctrinæ, inficere vellet, masculè se ei opposuit. *Hunnius l. c. p. 76.*

§. VI. Controversiæ inter Bremenses agitatæ impli-
citus fuit Philippus Melanchthon, cuius autoritate sæpe nobis
obstrepunt Reformati. Et sanè negari nequit, Melanchthonem
hîc diversum sensisse. Ita enim in epistola ad Harden-
bergium Anno 56. missa scribit : *Prudenter fecisti, quod tan-
tum instituisti disputationem de propositione : An Caro Christi
sit u' que, de qua universæ antiquitatis sententiam defendis.*
Citatur alia ejus epistola ad Principes imperii, in qua omni-
præsentiam rejecisse dicitur. Sed quicquid sit de Philippo,
ejus sanè sententia nostræ præjudicare haut potest, cùm con-
stet, eum in artic. de S. C. non sincerum fuisse, imprimis
quando artic. X. August. Confess. ita immutavit, ut Calvi-
nianismus sub eo latitare posset. Sed & ob hunc ipsum dis-
sensum, literas reprehensorias accepit, à Principe Wür-
tenbergico, ut ipse fatetur, in epistola quadam ad Harten-
bergium, cujus verba exhibet *Höppin. l. c. p. 286.*

§. VII. Defuncto Philippo, B. Brentius unà cum
BB. Jacobo Andrea, Andrea Musculo & Martino Chemnitio,
doctrinam Lutheri propagavit. Licet autem initio fortè non
omnes eodem modo de omnipräalentia locuti sint, postea ta-
men plenissimè consenserunt, quando in *Form. Conc. p. m.*
783. mentem suam sequentibus clarissimis proposuere ver-
bis : *Credimus, quòd Christus etiam secundum illam suam as-
sumtam naturam, & cum ea præsens esse posit, & quidem
præsens sit, ubique velit : præsertim verò sentimus, eum Ec-
clesiæ suæ in terris, ut mediatorem, caput, Regem & summum
Sacerdotem præsentem esse. Non autem dimidiatus tantum
Christus, aut una duntaxat ipsius pars Ecclesiæ præsto est, sed
tota Christi persona.* Hoc ipso autem dogmate omnes Zvin-
gianos adversus se concitârunt, qui ineptas inde con-
sequentias necentes, Eutychianismum, Schwenckfeldiani-
smum, & quas non hæreses, ipsis imputarunt. Habitum
est jam pridem ante editam Conc. Formulam A. 64. collo-
quium

297

quium Maulbrunnense, quō finito Zwingiani sparserunt, Theologos Würtenbergicos fuisse convictos, nec ullō Scripturæ testimonio ubiquitatem tueri potuisse: quæ causa fuit, ut Würtenbergici Epitomen ejus colloquii ederent, atque inanem illam gloriationem diluerent. Illud etiam putidum commentum, & mera calumnia est, quando *Hospinianus* l.c. p. 286. b. Brentio talem effusionem tribuit, qua omnes divinæ naturæ proprietates essentiales in naturam humanam effusæ sint: nam hic error expressis verbis damnatus est in F. C. p. 777. B. Jacobum Andreæ adversarii variis traduxerunt nominibus, dum modò alter Jacobus Faber Stapulensis, modò Apostolus ubiquitatis ipsis audivit. Præter Calvinianos initio ante, quam Form. Conc. consignatur, se opposuere quoque Wittenbergenses, qui Würtenbergicos Theologos accusabant, quasi errorem in doctrina de omnipræsentia Christi foverent, & omnipræsentiam extensivam statuerent. Hinc Dresdam vocati, Electori, per Paulum Eberum, scriptum exhibuere, in quo ad Melanchthonis sententiam inclinabant. Sed monitus per Brentium Elector, istos denuò ad se accersivit, & accuratius insententiam illorum inquisivit, ubi Eberus ad saniorem mentem rediit, valdè ob id Crypto-Calvinianis exosus. *Hospin.* l.c. p. 291. b. 294. f. Sed & Pontificii contra hanc sententiam insurrexerunt, atque inter alios Jesuita Ingolstadiensis, *Albertus Sperlingius*, qui librum de Majestate & præsentia Domini nostri Jesu Christi contra theses Schmidlini (sic vocarunt B. Andreæ) edidit, cui tamen hic in Apologia satisfecit. *Ibid.* p. 325.

§. IIX. Formulâ Concordiæ A. 80, in lucem publicam emissa, novæ subinde disceptationes exortæ sunt: præfertim cùm *D. Daniel Hoffmannus*, Prof. Helmstadiensis, non solùm B. Andreæ 17. errores crassiores (quos in summa exhibet *Hospinianus* l.c. p. 385. b.) impingeret; sed Formulam Concordiæ quoque, cui tamen ipse cum Hesshusio subscriperat, variis dictiis insectaretur. Obviam verò ei ivere *B. Polycarpus Lyserus* im Kurzen und gegründeten Bericht.
B. Egid.



B. *Ægid. Hunnius* in der nōthigen Verantwortung des ConcordienBuchs / item in alio scripto Germanico, cui titulus: *Widerlegung der ungegründeten Auflagen D. Hoffmanns.* Rem quoque cum illo habuit B. *Georgius Mylius*, qui *Apologeticum* aduersus illum edidit. Scil. D. Hoffmannus literas exararat secretiores, nonnulla contra Form. Concord. & Theologos quosdam continentes. Illæ in manus incidenterant Calvinianorum, qui eas diversis in locis imprimi cūrantes, hoc ipso novas Ecclesiæ turbas dabant, quas laudati Doctores in herba supprimendas existimârunt. Imprimis duo sunt, quæ Hoffmannus objecit. Nempe primò testimonia Lutheri, de omnipräsentia Christi, Formulae Conc. post factam jam subscriptionem, inserta fuisse; quod tamen falsum esse ostendit *Hunnius* in p. 108. *Der Widerlegung.* Dende sparsit, post subscriptionem multa in Formula Conc. fuisse immutata, alia nova superaddita: sed contrarium probare sategerunt *Polycarpus Lyserus l. c.* & *Hunnius* in der nōthigen Verantwortung p. 108. Notari meretur, quod, teste Lysero, in Colloquio Quedlinburgensi, factâ collatione super mutatione, (quæ levissima erat) Hoffmannus professus sit, suo & Collegarum nomine, se, quod deprehenderint nihil erroris fubesse, acquiescere, & cum Theologis Electoralibus consentire. *Hutterus* autem Conc. Conc. Cap. XLV. d. 1051. docet, *Helmstadiensium Theologorum tergiversationem fecisse, ut finis ac eventus expectationi Ecclesiæ non responderit.* A quo non parùm differt; sed nec probatum fuit haçtenuis, quod nonnemo dixit, Colloquium Quedlinburgense, ideo, quod Hoffmannus & Hesshusius dogma de Ubiquitate amplecti noluerunt, abruptum potius, quam legitimè finitum esse. Apparet potius, cui parti dissensus, qui per multos deinceps annos viguit, imputari debeat. Prolixè de eo differit, & in causas ejus inquirit *Hunnius* in der nōthigen Verantwortung p. 104. seq. In colloquio tamen Quedlinburgensi constitutum, ejusque Recessui insertum est, ut non obstante dissensu, inter Ecclesiæ & Theologos utrinque pax & concordia coleretur. Vid.

Hutter.

298

Hutter. l. c. p. 1179. 1180. Cæterum Calviniani, cùm inter Theologos nostros non omni ex parte conveniret, valde se oblectarunt, & Hospiianus Concordiam discordem edidit; cuius tamen nugas discussit B. Hutterus in citata jam saepius *Concordia Concorde*: quorsum etiam spectat dissertatio solennis, cui titulus: *Constans Concordia concors*, Halæ Saxonum, Anno 1675. disputationi subjecta, Præside B. Dn. D. Joh. Oleario, Conc. Aul. prim. Confess. Consil. Eccl. & Superint. General. Ex Pontificiis verò prodiit *Forerius*, qui dogmate Ubiquitatis Nostrates acerbè traduxit: quem verò Theol. Electoralies refutarunt in der Haupt Vertheidigung des Augapffels.

§. IX. Tandem & hoc ipso seculo lis exorta est inter Theologos nonnullos, ipsam Form. Conc. amplexos. Nempe Tubingenses B. B. *Luc. Osiander*, & *Theodorus Thummius*, sicut putarunt, Christum, cum his in terris ambularet, semper usum esse communicata sibi maiestate, sed illum usum tamen occultasse; ita de omnipræsentia quoque docuerunt, Christum inde ab utero matris, imò post conceptionem statim, actu ipso fuisse omnipræsentem. Explicarunt autem Christi omnipræsentiam de *adiaçatio* ad omnes creaturas, ejusque fundamentum proximum posuere in unione personali. Ab his diversum docuere Giessenses B. B. *Winckelmannus*, *Menzerus* & *Feuerbornius*, qui uti Christum in statu exinanitionis abstinuisse docuerunt, ab usu majestatis plenario, præeunte Paulo *Phil. II, 7*; ita dixerunt, omnipræsentiam Christi cœpisse demum post ascensionem in cœlos, & in statu exaltationis: adeoque fundamentum proximum collocarunt in Christi exaltatione, ejusque sessione ad dextram Patris, remotum verò in unione personali; cæterum afferentes, omnipræsentiam carnis Christi consistere in præsentia sive propinquitate modificata, h. e. cum efficaci operatione conjuncta. Quæ posterior sententia, utpote Formulae Conc. magis conveniens, approbata est à Theol. Electoralibus in decis. solida 4. quæstionum. vid. B. D. *Museus* in der ausführl. Erklär. p. 542.

B

SECTIO



SECTIO II DOGMATICA.

§. I.

Datâ brevi relatione, de ortu & progressu præsentis controversiæ, jam sententia vera, librisque Symbolicis conformis, proponenda est. Hic autem tria occurunt, de quibus ordine agendum. Primo & ante omnia ostendendum, qualem omnipræsentiam, seu, quo sensu Christum omnipræsentem esse, statuamus. Deinde fundamentum talis omnipræsentiae investigandum. Denique, quæ hinc pendet quæstio, de tempore, seu quando Christus omnipræsens esse cœperit, erit tangenda.

§. II. Ad primum quod attinet, equidem negari nequit, initio Thologos diversimodè esse locutos, dum Brentius & Andreæ simpliciter dixerunt, Christum ubique esse præsentem, Chemnitius autem & Selneccerus asseruerent, præsentem esse Christum, secundum humanam naturam, ubicunque & quandocunque velit. Sed hic qualiscunque dissensus (si tamen in re ipsa ullus est) objici nobis haut debet, nec ex privatis Doctorum opinionibus sententia nostræ Ecclesiæ est judicanda : imprimis, cum postea inter ipsos convenerit, illique unanimi consensu sententiam suam in Form. Concord. proposuerint. Ejus verba jam supra Sect. I. §. 7. citavimus : cum quibus conjungi debent, quæ habentur p. 786. f. Ibi rejiciuntur hi duo errores : n. II. Quod humana in Christo natura eô modo, quô divinitas, ut infinita aliqua essentia, & ex virtute aut proprietate essentiali suæ naturæ ubique præsens sit. num. IV. Quod humanitas Christi in omnia loca cœli & terræ localiter extensa sit : quod tamen ne quidem divinitati tribui debet. Contrà docetur : Quod Christus per divinam omnipotentiam suam, corpore suo (quod ad dextram maiestatis & virtutis Dei collocavit) præsens esse possit., UBICUNQUE VOLUERIT: ibi

im-

233

imprimis , ubi suam præsentiam illam, ut in sacra sua cœna, in verbo suo promisit. Atque hoc suâ omnipotentia & sapientia optimè efficere posse dicunt, sine transmutatione aut abolitione veræ suæ humanæ naturæ. Pluribus hæc proponuntur in *Apol. Form. Concord.* edit. Magdeburg. p. 257.

§. III. Hic videmus I. quod rejecto Ubiquitatis, juxta Calvinianæ accusationis sensum accepto, dogmate , rejecta item infinitate humanæ naturæ , ejus extensione & inclusione, doceatur omnipræsentia non absoluta, crassa, physica & localis , aut prorsus necessaria ; sed , quemadmodum *ex gratia unionis personalis* , sic *ex voluntario usu communicatae majestatis* pendens : quòd scil. Christus ad dextram Dei exaltatus, præsens sit, ubicunque vult, imprimis ubi se præsentem futurum promisit. Quanquam non ideo adversarii pro omnipræsentia multipræsentiam aut multivolipræsentiam nobis rectè adscribant. Nam & potentia præstò essendi (quam aliqui majestatem præsentiae appellârunt,) non solùm ad multas, sed omnes creaturas revera spectat, & *aëtus præsentie* , præter S. Cœnam, ad universum hunc mundum, terminatur : prout constat Christum non tantùm in S. Cœna, sed etiam in medio inimicorum velle esse præsentem: de quo mox dicemus. Atque huic sententiæ *Form. Concord.* Theologi firmiter semper adhæserunt. B. Ægid. Hunnius in der Widerlegung der ungegründeten Auflagen/ cùm Hoffmannus sparsisset, Concionatores Hallenses à Senatu jussos esse, contra consensum cum Chemnitio initum, ubiquitatem deserere p. 7. ita respondet : Was versteht hie D. Hoffmann durch die Ubiquität ? Er definire und beschreibe sie. Ist hiemit gemeynet die ertichte infinität oder Unendlichkeit / oder ungeheure Ausspannung menschlicher Natur in alle Örter der Welt / oder räumliche Einschließung derselben in Holz/Laub/ Stein/ Bierkannen/ Häfen/ Glas/ unsaubere Örter / davon die Calvinisten reden/ und uns derselben aus lauter Muthwillen beschuldigen / so weiß er wohl / daß eine solche Ubiquität weder von uns/ noch von denen Würtenbergischen Theologen gehalten wird.

B 2

Vers



Versteht er aber die Majestät des zur Rechten Gottes
sitzenden, und über alle Creaturen auch nach seiner mensch-
lichen Natur gegenwärtig herrschenden Jesu Christi, denn
von keiner andern Ubiquität wissen weder wir noch die
Württenbergischen Theologen — so haben die Theologen
zu Hall in Sachsen allbereit dieser Ubiquität (NB. da
mans ja also nennen sollte) mit eignen Händen unterschrie-
ben &c. Similia habet in der nöthigen Verantwortung
p. II. s: & p. 60. seq. multis testimoniis demonstrat, ean-
dem doctrinam in Ecclesiis inferioris Saxonie, propositam
à Doctoribus fuisse & inculcatam. B. Martinus Chemnitius
in de duabus naturis in Christo c. XXX. p. m. 192. ita differit:
*Humanitas in λόγῳ & cum ipso omnibus dominatur, non ex
longinquō aut immenso intervallō absens, seu per vicariam
operam & administrationem, sicut Reges solent, quando ipso-
rum imperium per multas & longinas provincias latè ex-
zenditur; sed sicut in λόγῳ subsistit, ita etiam quatenus τῷ
λόγῳ personaliter adhæret, in λόγῳ omnia coram se præsen-
tentia habet, & omnibus præsens dominatur ēv τῷ λόγῳ.*
E recentioribus videri possunt B. Hülsemannus im Caliptini-
schen GewissensWurm c. 2. p. 67. B. Dannhauerus in Ho-
dos. p. m. 781. s. & nunquam satis laudandus B. Musaeus
in der ausführl. Erkl. p. 544., ubi hæc habet: *Omnipræ-
sentia carnis Christi, quæ in libris nostris Symbolicis docetur,
& quæ à plerisque Ecclesiis, Aug. Conf. addictis, recipitur,
non est omnipræsentia absoluta, sed modificata, per quam
Christus carne sua jam in statu exaltationis præsens esse sta-
vitur, non in omnibus rebus aut creaturis, sed pro exigentia
dominii illius universalis, quod ad dextram Patris exaltatus,
secundum utramque naturam præsentissimè exercet.* Ibidem
ex Relatione Colloqvi Quedlinburg. monet, juxta Theo-
logos Palatinos, Saxonicos & Brandenburgicos non necesse
esse, uti hac locutione abstractivâ: *Substantia corporis vel
carnis Christi est in omnibus creaturis; sed sufficere, si cum
Form. Conc. dicatur, quod Christus etiam ut homo, seu
secundum assumptam humanam naturam, omnibus creaturis
præ-*



præsens sit, & præsens omnia gubernet. vid. ib. p. 546.
seq.

§. IV. Deinde II. notandum, quod omnipræsentia carnis Christi non sit otiosa, consistens in nudam *audiacatia*, seu indistante propinquitate ad creaturas, sed conjuncta cum efficaci operatione, & gubernatione hujus universi, & imprimis Ecclesiæ in his terris. Ita B. Mart. Chemnitius in de duabus naturis p. m. 186. occupatus circa verba Christi Matth. XXIX. Ego sum vobiscum omnibus diebus &c. scribit: Non autem tantum nudam aut otiosam suam præsentiam Ecclesiæ Christus promittit, sed talem, qua operetur & efficax sit, dans incrementum, ne Apostolorum labor inanis sit, defendens ministerium ab hostibus, auditores convertens, justificans, gubernans, salvans &c. Ipsa Epitome Form. Conc. p. 608. ita loquitur: Itaque jam non tantum ut Deus, verum etiam ut homo, omnia novit, omnia potest, omnibus creaturis præsens est, & omnia, quæ in cœlis, in terris, & sub terra sunt, sub pedibus suis, & in manu sua habet; quibus verbis non præsentia otiosa, sed cum efficaci operatione conjuncta, insinuatur. Conf. Domini Præsidis Compend. Theol. Posit. edit. prioris p. 446. poster. p. 595. 596. Idem occasione litis inter Tubingenses & Giessenses exortæ, pluribus inculcarunt & probarunt Theologi Saxonici in Decis. solidæ, ejusq; Apolog. ubi docent, præsentiam divinam, stylo Scripturæ, semper esse cum efficaci operatione conjunctam, & omnipræsentiam Christi secundum humanam naturam importare præsentissimum Christi hominis dominium in hoc universum.

ed. 1717, p. 523

§. V. Denique observandum III, quod præsentia Christi secundum humanam naturam, non tantum ad Ecclesiam alliganda sit, sed quod Christus extra Ecclesiam quoque sit omnipræsens. Cui sententiæ licet superiori seculo opposuerint se Heßhusius & Hoffmannus, illorum tamen argumenta tanti ponderis non sunt, ut aliquid evincant. Hoffmannus B. Mylio objecit: Si verum est, (Christum extra Ecclesiam esse omnipræsentem) gratia Evangelii, quæ est præ-

B 3 sentiæ



sentiæ Christi in Ecclesia propria , non piis tantùm , sed
impiis etiam & infidelibus , & sic canibus etiam & porcis
extra Ecclesiam communicabitur. Sed si hoc argumentum
quicquam , illud tantùm evincit , quòd Christus non eo-
dem modo , gratiōsē scilicet , extra Ecclesiam præfens existat ,
quòd verò planè non præfens adsit , neutiquam probat. Si
ergò Antecedens restringatur ad omnipræsentiam gratiosam ,
tunc totum argumentum concedimus , quia nobis non ad-
versatur. Deinde objecerunt locum Apoc. I, 13. ubi Johan-
nes se vidisse scribit Christum , in medio candelabrorum :
hīc quia per candelabra Ecclesiæ interpres intelligunt , in-
de collegerunt , Christum nonnisi in Ecclesia esse præsen-
tem. Sed licet negari nequeat , Christum in nonnullis Scri-
pturæ locis , peculiariter Ecclesiæ præsentiam suam promi-
ssisse ; suppetunt tamen & alia dicta , quæ Christum ratio-
ne dominii etiam inter inimicos præsentem esse ostendunt ,
adeoque extra Ecclesiam : e. g. quando Psalmus CX, 2. testa-
tur , Christum in medio inimicorum suorum dominari. Un-
de Theophylactus in c. IV. Epist. ad Ephesios scribit : Chri-
stus omnia implet dominatione operatione g̃ sua : idq; in CAR-
NE , quandoquidem divinitate jam omnia implevit. conf.
B. Hoë Comment. in c.l. Illustre quoque hanc in rem testi-
monium est B. Mart. Chemnitii l.c. p. 192. ita differentis:
*Quod si de aliis creaturis , quæ extra Ecclesiam sunt , ac gene-
rali gubernationi Dei subjectæ sunt , queratur , Scriptura ma-
nifestè affirmat , Christo etiam , secundum humanitatem , ut
Domino , vel ut veteres loquuntur , humanitati Christi subjecta
esse omnia , ut nihil exceptum sit , præter illum , qui subjecit
ei omnia , quæ verba conferri debent cum illis , quæ supra
§. 3. allegavi. Cæterū benè observanda sunt , quæ idem
Chemnitius p. s. 193. subjicit :* *Quod verò præterea particu-
larius disputatur & queritur — an etiam corpus Christi in
lignis , & lapidibus , in pomis , in avibus cœli , pecoribus
campi , piscibus maris , an ibi queri & inveniri velit ? —*
cūm de hujusmodi questionibus non habeamus certum verbum ,
& expressam præmissionem , quod ibi velit queri & inveniri
nec

*nec aliquid vel edificationis , vel consolationis in Ecclesia
afferant , sed simpliciores offendant , infirmiores pertur-
bent , & adversariis prebeant materiam litis nunquam
finienda , simplicissimum & tutissimum est , tales disputatio-
nes à nostris argumentationibus & consequentiis retrahere , & intra cancellos divine patefactionis revocare , ac in-
tra illas metas nos sollicitè continere , ut Christum ibi quara-
mus & apprehendamus , ubi se adesse velle , certo verbo pro-
misit.*

¶. VI. Postquam ex hactenus dictis abunde con-
stat , quô sensu Christum omnipræsentem esse dicamus , nunc
inquirendum est in fundamentum , cui talis omnipræsentia
innitatur . Jam supra verò Sect . I . § . ult . mentio facta est dis-
sensus inter Tubingenses & Giessenses . Illi unicum omnipræ-
sentia fundamentum ponebant , nempe unionem persona-
lem : hâc facta , statim Christum omnipræsentem fuisse asse-
rebant . Verùm enim verò hæc sententia multis premitur
difficultatibus . Ut alias taceam , non sanè appetet , quo-
modo in triduo mortis , corpus Christi dici possit fuisse in
sepulcro , anima in paradiſo , atque adeò corpus ab anima
longè remotum , cùm juxta hanc sententiam humana natu-
ra cum divina futura fuisset ubique , atque ita nec anima sine
corpore , nec corpus sine anima extitisset ; quod est contra
claram literam Scripturæ ; cuius etiam alia plura loca , stan-
te isthac sententia , torquenda , atque aliter , quàm sonant ,
exponenda forent . Quod videntes Theologi Giessenses , du-
plex fundamentum posuere : unum remotum & inadæqua-
tum , sc . unionem personalem , à qua Christus homo hoc
habet , ut possit esse omnipræsens ; alterum proximum , nem-
pe exaltationem ad dextram , qua facta , Christus homo actu
secundo omnipræsens esse cœpit , cum gubernatione hujus
universi . Et sic ex unione personali & exaltatione Christi
adæquatum omnipræsentia fundamentum constituitur .

¶. VII. Sicut autem omnipræsentia Christi duo im-
portat , nempe 1. adessentiam , ut ita loqui liceat ; 2.
efficacem operationem , gubernationem Ecclesiæ & domi-
nium



nium in creaturas : ita quæritur , an utrumque quā actum
secundum ab exaltatione derivari debeat , an verò dominium
tantū ? Posteriorem sententiam amplexus putatur B. Egid.
Hunnius , qui scripto Germ. der nōthigen Verantwortung p.
14. s. hæc habet : Um welcher höchsten Vereinigung willen (in-
telligit unionem personalem) dieser Mensch allein und sonst
keiner sagen konte / da er auf Erden bey Nicodemo stunde/
daß des Menschen Sohn im Himmel sey . Sintemahl
das ewige Wort oder Sohn Gottes seine menschliche
Natur / um welcher willen er ist und heist des Menschen
Sohn / an dem Ort / da er räumlich bey Nicodemo stun-
de / nicht näher bey sich hatte / als im obersten Himmel /
als welcher sie nicht nach diesen oder jenen Ort (da die
Menschheit natürlich und sichtbarlich ist) mit sich verein-
bahret / sondern ohne Betrachtung räumlicher begreif-
sicher Stätte und Orter / hat er sie innerhalb seiner gött-
lichen Person / (bey welcher weder Raum noch Ort zuge-
dencken) intimè & unitissimè præsentem , & præsentissimè
profundissimeg unitam . Dein subjicit : Doch hatte das
mahls im Stande seiner Erniedrigung / der Sohn Gots-
tes durch seine Menschheit über alle Creaturen nicht ge-
herrschet / welche Herrschaft ihme — bis nach gänzlicher
Hinlegung knechtischer Gestalt ist gesparet worden . Ex
quibus colligi posse , B. Doctorem præsentiam illam
deducere ab unione personali , dominium verò à statu
exaltationis : Sed quicquid de mente ejus sit ; si repe-
tantur , quæ §. 4. & 6. dicta fuere , hæc sententia vix
invenerit locum . Sic enim daretur præsentia otiosa seu
absque efficaci operatione , quæ à Theologis Saxoniciis re-
jecta fuit . Sed & ante hos B. Wigandus l. supra cit . p. 151.
plus simplici vice monuit , imperium ab ubiquitate neuti-
quam disjungi debere ac separari . Plura vid. infra §. 12. s.
Statuendum itaque est , non tantū dominium , sed & omni-
præsentiam in exaltatione & sessione ad dextram Dei funda-
ri . De præsentia ex jam dictis quodammodo constat :
quod verò ad dominium attinet , illud Scriptura manifestè
cum



cum statu exaltationis conjungit, quod fit in Psal. XC., I. 2.
Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos in scabellum
pedum duorum. Sceptrum fortitudinis tuae emittet Dominus
ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum. Clara quo-
que sunt verba Pauli Ephes. I, 20. seq. Deus Christum col-
locavit ad dextram suam in cœlis, longè supra omne impe-
rium ac potestatem & potentiam & dominationem, & omne
nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, verū etiam
in futuro. Scripturam sequitur Form. Concord. cuius p. 608.
hæc sunt verba : Majestatem (Christus) non semper, sed
quoties ipsi visum fuit, exercuit : donec formam servi, non
naturalum humanum, post resurrectionem plenè & prorsus de-
poneret, & in plenariam usurpationem, manifestationem &
declarationem divinae majestatis collocaretur, & hoc modo in
gloriam suam ingrediceretur. Gemina habentur in Sol. Declar.
p. 783., ubi expressè dicitur Christus majestatem, secundum
suam humanitatem, ad dextram majestatis & virtutis Dei ac-
cepisse; & subjunguntur illa, quæ supra in Sect. I. §. 7. ad-
ducta fuere.

§. IX. Quando verò supra dictum fuit, fundamen-
tum omnipræsentiae Christi remotum esse unionem perso-
nalem, cuius effectus est communicatio idiomatum, hīc
considerandum venit, an divina omnipræsentia eadem nu-
mero communicata sit humanæ Christi naturæ, an non?
seu : an humana natura omnipræsens sit eādem numero
omnipræsentia, quā natura divina, an verò diversā quo-
dammodo. Quorundam Theologorum sententia est, esse
eandem numero omnipræsentiam naturæ utriusque. Inter
aliós B. Feurbornius in Fascic. Dissert. Theol. de divina Christi,
ut homo est, apud creaturas, omnipræsentia p. 130 ita loqui-
tur : Omnipræsentia, quæ in Scripturis de Christo secundum
carnem prædicatur, περτὸς enunciatur de ipso, secundum
Deitatem. Non enim est alia atque alia omnipræsentia, sed
una & eadem. Licet λόγῳ competit ex naturæ divinae immen-
sitate, carni verò λόγῳ ex hypostatica cum λόγῳ unione, &
ad dextram Dei exaltatione; quæ verba jam ante in peculiari

C dispa-



disputat, contra Philippum Cæsarem proposuerat. **B.** Quen-
ctedius autem in Syst. Theol. P. III, c. III. membr. I. Sect. II. qu.
XIV p. 187 : Ipsam, inquit, filii Dei omnipresentiam carni
Christi afferimus — modus tantum ejus diversus adstruen-
dus, nimirum secundum unionem personalem, & permodum
sessionis ad dextram, ut B. Lutherus loqui amat. Sed vene-
ror h̄ic sententiam Venerabilis Dn. D. Bechmanni Patroni ac
Præceptoris cum observantia colendi, qui in Annotat. Uüberior.
in Comp. Hutt. ad L. III. de Pers. & Off. Christi Q. 31. §. 17. p. 173
ita hâc de re differit : Non una eademque numero omnipræ-
sentia est, quâ omnipræsens est divina & humana natura,
quod facile poterit intelligi, si consideretur, quod per omni-
presentiam naturarum Christi in casu recto denotetur existen-
tia earum, connotet autem propinquitatem seu indistinctiam
ad coexistentes omnes res creatas : at existentia cuiusque
rei revera idem est, quod ejus natura & essentia : siigitur
una esset omnipræsentia divina & humanae Christi naturæ, una
utriusque esset existentia & essentia, quod ad hæresin Eu-
tychianam proprius accedit.

§. IX. Objici h̄ic poterat, has duas sententias dif-
ferre tantum modis & phrasibus loquendi : distingven-
dum esse inter has duas enunciations : Una eademque
numero omnipræsentia divina communicata est humanæ
naturæ, &c: Una eademque numero omnipræsentia est utri-
usque naturæ ; posteriorem quidem falsam esse, ob datañ
rationem ; priorem autem veram. Sicut enim dicimus :
divina natura communicata est humanæ naturæ, ita etiam
dici posse : divina omnipræsentia, quæ à natura realiter
non differt, communicata est humanæ naturæ ; interea
non dici, quod una eademque numero omnipræsentia huma-
næ sit ac divinæ naturæ. Verùm hâc distinctione enunciatio-
num nondum omnis difficultas videtur sublata : præsertim,
quod omnipræsentia communiter ita dicitur communicata
Humanæ Naturæ, ut etiam de Christo secundum hanc na-
turam humanam prædicari, ac dici possit : Christus secun-
dum humanam naturam est omnipræsens. Unde quæri-
tur,



tur, quænam sit illa omnipræsentia, quâ omnipræsens esse perhibetur? & redit dubium: Si una eademque numero divina omnipræsentia communicata est humanæ Christi naturæ, tunc humana natura divinâ omnipræsentia omnipræsens existet. Quia verò dictum est, præsentiam dicere in casu recte existentiam, hanc autem ab essentia realiter non differre, ideo juxta communem sententiam humana Christi natura dicenda erit existere existentiâ divinæ naturæ, & sic habere essentiam divinam, quæ sanè confusio distinctarum naturarum foret. Nisi forte dicere quis velit, omnipræsentiam divinam, quia ab essentia seu natura non differt, communicatam quidem esse humanæ Christi naturæ, ut tamen hæc per illam non præsens existat: sicut ei communicata est divina natura, ut tamen per hanc non habeat suam essentiam. Ita verò iterum quæretur, per quam ergo omnipræsentiam Christus secundùm humanam naturam sit omnipræsens?

§. X. Præterea, si sententiam laudatam amplectamur, ex multis difficultatibus facilius nos expedire possumus. E.g. quando Tübinger statuerunt, Christum secundùm humanam naturam, factâ unione personali, statim omnipræsentem fuisse, inter alia objici potuit, nisi hoc admittatur, jam unam eandemque omnipræsentiam fore necessariam & liberam: necessariam, quia Christus quâ divinam naturam necessariò omnipræsens est: liberam, cùm eadem omnipræsentia à Christo, secundùm Humanam Naturam, liberè fuerit usurpata. Quæ objectio, licet non ad eò magni ponderis sit, facilimè tamen eludi potest, si dicamus, necessitatem & libertatem non de eadem omnipræsentia enunciari, dum omnipræsentia Humanæ Naturæ, quâ suum principium, differt ab omnipræsentia divinæ naturæ. Sic nullo negotio solvit illa Calvinianorum objectio, quando ex nostra sententia, quod Christus realiter omnipræsens sit, elicere volunt infinitatem humanæ naturæ. Sanè enim, quod ex tali omnipræsentia, quæ ab omnipotenti Christi, ejusque libera voluntate dependet, infinitas colligi non possit, quilibet deprehendit. conf. Sect. Polem. § 8. 10.

C 2

§. XI.



S. XI. Sed opponi nobis poterat autoritas BB: Hunnii & Hutteri. Ille Tom. I. p. 348 ita scribit : Præsentiam τὸ λόγον, quā extra loca omnia dicitur adesse, nolim ego cum ejusdem essentia confundere. Ratione essentiæ enim sibi est, quod est. Ratione præsentie adest aliis à se distinctis, nec tamen localiter, sed extra locum : quod non ad essentiam simpliciter, sed ad essentiæ præsentiam pertinere, vel hinc perspicuum evadit ; quia adesse illud extra locum, seu illocutione, differentes modos atque gradus revera suscipit : quæ graduum & modorum differentia in ḡστιαν Deitatis verbi, ut in se se consideratur, cadit minimè ; quibus gemina habet Hutterus in L. C. p. 182. f. Verūm hæc omnia nobis minimè obstant. Repetendum ergo est, quod supra monitum fuit, omnipræsentiam duo importare : unum in casu recto, nempe ipsam existentiam ; alterum, quod connotat, scilicet adessentiam seu propinquitatem. Quando jam B. Hunnius mentionem facit diversorum graduum & modorum, illa diversitas non pertinet ad id, quod omnipræsentia in casu recto importat, sed quod connotat seu ad propinquitatem : hæc utique variat juxta ea, quæ in sequentibus addit Hunnius ; sed existentia semper est manetque eadem : ut ita præsentia ab existentia seu essentia non differat, nisi per respectum externum, qui ei superadditur, dum relationem dicit ad objectum, cui propinquum sive indistans est ; vel est existentia propinqua ad aliquid, loquente ita B. Scherzero in Syst. Theol. Loc. II X. p. 226.

§. XII. Ex his, quæ hactenus dicta sunt, jam quodammodo constat, quid de III, de quo agendum esse, supra dixi, nempe de quæstione : Qvando Christus omnipræsens esse cœperit ? sit sentiendum. In memoriam revocandum, quod supra dictum fuit, omnipræsentiam Christi duo includere 1. adessentiam seu propinquitatem, 2. dominium & efficacem operationem. Si quæstio de utroque simul sumto intelligatur, tunc convenit inter plerosque Theologos, quod Christus ante statum exaltationis ita non fuerit omnipræsens ; quod pluribus monstrarunt Theol. Saxonici in decis. solidæ c. III.

c. III. antith. 4. p. 63. & Apol. p. 623. seq. Quodsi vero de priori tantum quæstio intelligatur, non omnes idem sentiunt. Quæ sententia Hunnii fuerit, ex §. 7. constat. Eandem tenuit B. Hutterus in Form. Concord. artic. IX., & multis argumentis propugnat B. Scherzerus l. c. p. 224. seq. Eodem tendunt, quæ differit B. Brochmandus in Syst. Theol. universæ Tom. I. p. m. 316 seq. Contra alii simpliciter negant, Christum in statu exinanitionis fuisse omnipræsentem. vid. præ aliis B. Dannhauerus in Hodos. p. m. 709. seq. Ex his tamen, qui negant, nonnulli excipiunt illud tempus, quô Christus homo divinam potentiam usurpavit. Ita B. Feurbörnius l. supra cit. p. 143. licet non statuat, Christum ante statum exaltationis fuisse omnipræsentem, tamen asserit, quod Christus, quâ homo, substantialiter ibi præsens fuerit, ubi, quâ homo, operatus fuit divinè in statu exinanitionis, cum divina operatio in Deo & Deoθεωπω Christo, non possit divelli à substantiali propinquitate, sed illam inevitabiliter & indivisibiliter prærequirat. Cum quo consentire videtur celebrimus Dn. D. Sebastian. Schmidt in Tract. de Principiis seu Fundamentis præsentia corporis & sanguinis Christi in S. Cœna, ubi p. 268. hæc habet: Ex præsentia Christi in S. Cœna non concluditur actualis Christi omnipræsentia, seu Christum actu esse ubique. Ratio in promtu hæc est, quia alias concluderetur quoque, Christum in prima cœne celebrazione, atque adeo in statu exinanitionis suæ ubique fuisse, & omnipræsentiam actualem exercuisse; quod tamen falsum esse Scriptura & sèpius & sufficientissimè docent. Pag. verò 241. ita loquitur: Ordinariè Christus ante sessionem ad dextram Dei em in uno loco, nisi aliqua singularis officii ratio, aut promissio exceptiō nem faceret. De assertione tamen illa B. Feurbornii, quod divina operatio non possit divelli à propinquitate, fortè quis non injuria dubitaverit, cum Christus omnia miracula patraverit vi omnipotentiæ divinæ: hanc autem in statu exinanitionis ad præsentiam alligare velle, ut sine illa divina potentia exserere sese nequeat, fortassis majestati ejus derogat. Atque alias disceptant Philosophi, an aliquid ibi



operari possit, ubi non est præsens, quod cum in naturali-
bus deprehendi dicant, (vid. B. Slevogt. in *Diss. Academ.* p.
323. seq.) multò magis Christus vi omnipotentiæ sibi commu-
nicatæ ibi operari potuerit, ubi quæ naturam humanam
non præsens adfuit. Cæterum posterior sententia, quæ ne-
gat Christum, in statu exinanitionis omnipræsentem fuisse,
magis convenit *Apolog. Form. Conc.* quod ostendit B. Dn.
D. Musæus in der ausführl. Erklär. p. 556. Theologi Electo-
rales Saxonici nihil hic definire voluerunt, judicantes adcu-
ratam hujus quæstionis decisionem, sine jactura & pericu-
lo fidei posse omitti; in *Apol. decis. sol.* p. 409.

¶. XIII. Quod si quis sententiam negativam defen-
dere velit, non est periculum, ut per eam solvatur unio
personalis: hæc enim consistit in eo, quod λόγος intra
hypostasin suam assumptus naturam humanam, quæ unio firma
manet, licet Humana Christi Natura non sit ubique præ-
sens, ubi λόγος existit. Cum enim omnipræsentiam H.
N. dependere dixerimus ab omnipotentia Christi, ejusque
libera voluntate, quidni fieri possit, ut salvâ unione persona-
li, humana natura præsens sit in certo aliquo loco, divinâ na-
tura etiam alibi existente? Quod si neges, omnipræsentia
Christi erit absoluta ac necessaria, quod repugnat ipsi *Form.*
Conc. vid. supra §. 2. & 3. Nec est, quod quis objiciat, Christus
homo habet unam cum Deo subsistentiam, ergo etiam
unam habet cum Deo præsentiam: nam hinc porrò infer-
re licebit: Christus homo habet unam cum Deo præsen-
tiā, ergo etiam habet unam cum Deo existentiam seu essen-
tiā, quia hæc ab illa non differt. Dicis: stante hac sen-
tentia, Christus seu λόγος alicubi fuit homo, & alicubi
non fuit homo. Resp. Sicut idem est λόγος, qui hic &
alibi præsens est, non diversus; ita idem semper & ubique
existat, dicitur & est verus homo. Objicis porrò: Si
Christus in diebus carnis alicubi fuit, ubi caro non fuit, tum
alicubi fuit extra carnem. Resp. Extra carnem esse, am-
biguum est, & dupliciter intelligi potest 1. ita, ut extra car-
nem esse, sit idem, ac à carne separatum esse, 2. hoc mo-
do,

305



do, ut idem sit, ac alicubi existere, ubi caro non existit, licet nullâ facta separatione in persona. Priori modo si sumatur, negatur consequentia, quia ubiunque caro fuit, ibi $\lambda\circ\gamma\Theta$ ipsi personaliter unitus permansit, adeoque nulla facta est separatio. Si verò posteriori modo sumatur, concedetur totum argumentum: nondum enim appetit, quid absurdum hinc sequatur. Sicut unio inter caput & animam non solvit, quia illud non existit ubiunque anima existit; ita quoq; unio personalis inter $\lambda\circ\gamma\Theta$ & humanam naturam non dissolvitur, si hæc non extiterit ibi, ubiunque $\lambda\circ\gamma\Theta$ fuit præsens.

SECTIO III POLEMICA.

§. I.

Nunc ultimum laborem suscipimus, probationem scilicet sententiæ orthodoxæ, ejusque contra adversarios defensionem. Ex his autem, quia aliis dudum satisfactum est à Nostris, eligemus trigam Reformatorum Batavorum, eruditionis laude valde florentium: nempe Joh. Brunium D. & Prof. in Academia Groningæ & Omlandiæ, in Doctrina Fæderum, A. 1688. edita; Abrahamum Heidanum D. & Prof. quondam in Academia Lugdunensi, in Corpore Theol. Christianæ A. 1687. in lucem emisso, & denique Petrum van Mastricht, D. & Prof. in Academia Ultraiectina, in Theologia Theoretico-Præct. quæ prodiit A. 1682.

§. II. Ut autem ritè procedamus, ante omnia statutus controversiæ rectè formandus est, quia plerumque adversarii in oppugnanda omnipræsentia carnis Christi, illum non observant. Primò autem constat, quod præsentia non unius sit generis. Datur enim præsentia moralis, quando quis ratione dominii, aut affectus alicubi præsens est: datur etiam præsentia substancialis, qua aliquid præsens existit ipsa substantia. conf. Dn. D. Olearium in Continuat. Isa-

gog,



gog. B. Carpzovii p. 1540. f. Hoc loco tantum queritur de
præsentia, quæ substantiam s. substantiali, & quidem non
totius personæ Christi, sed humanæ ejus naturæ, 2. remo-
vemus omnem præsentiam expansivam, seu localiter extensi-
vam & inclusivam, atque intelligimus tantum majestaticam
& indivisibilem. 3. neque sermo est de omnipræsentia ab-
soluta, sed tali, qualis sufficit ad gubernationem universi,
& imprimis Ecclesiæ. 4. non agitur de præsentia otiosa,
sed cum efficaci operatione conjuncta. 5. non controver-
titur de omnipræsentia in statu exinanitionis, sed quæ sta-
tum exaltationis & sessionem a dextra Dei pro fundamen-
to habet. 6. non immensitatem humanæ Christi naturæ tri-
buimus, aut talem omnipræsentiam, quæ sit ejus proprie-
tas, sed quæ ex communicata omnipotentia & voluntate
ejus resultat. Denique 7. non est quaestio de modo, sed de
re ipsa. Status igitur controversiæ hic est: An Christus
secundum humanam naturam exaltatus ad dextram Dei,
juxta eandem, modo & ratione huic statui convenienti, hoc
universum & imprimis Ecclesiam, substantialiter præsens,
potenter gubernet?

§. III. Formato statu controversiæ, sententia af-
firmativa probanda est, ubi tamen non numero, sed ponde-
re argumentorum certabimus. Quod Christus Ecclesiæ suæ
præsens adsit, illud constat ex Matth. XXIX, 20., ubi Salva-
tor in cœlum jam ascensurus, hanc discipulis promissio-
nem reliquit: *Ecce, ego sum vobiscum omnibus diebus usque*
ad consummationem seculi; quæ verba ad divinam tantum
naturam pertinere tantisper negamus, dum adversarii ur-
gentem necessitatem monstrant. Sanè cum Christus visi-
bilem præsentiam jam subtracturus esset discipulis, hi que
ideo contrastarentur, procul dubio, solatum illis propi-
nare volebat, se scilicet, licet visibiliter non amplius præ-
sens fit, juxta eandem tamen naturam, juxta quam
jam exaltari quodammodo cœperat, mox plenè exaltan-
dus erat, cum illis futurum, & quidem usque ad con-
summationem seculi: quæ ultima verba evincunt, hanc
pro

promissionem non ad Apostolos duntaxat, sed ad totam Ecclesiam pertinere, cum illi usque ad consummationem seculi vitam non produixerint. vid: plura de hoc loco *in* disp. B. Menzeri, quæ habetur Tom. V. disp. Giessens. disp. VII. p. 109. seq.

§. IV. Excipit Braunius l.c. p. 526. (similia habet Petrus van Mastricht l.c. parte altera p. 107.) hunc locum non debere intelligi de certa aliqua natura, multò minus de natura humana, sed de tota persona, quæ est omnipræsens, quoad divinam naturam. 2. Christum nobiscum esse per gratiam, & per virtutem Spiritus sui, consolando, corroborando & defendendo suos. Resp. Quod ad i. attinet, contrarium in §. præced. satis fuit ostensum, nec Braunius necessitatem monstrat, quæ cogat verba Christi ad divinam naturam restringere. Ac potius, quia Christus fundamentum promissæ illius præsentiaæ universalis ac perpetuæ, inde petit, quod sibi *data sit omnis εξστια, potestas cum potentia physica* (quam vocant, aut realiter effectrice) conjuncta, *in cælo & in terram*; omnino admittendum est, mentem Christi huc redire, quod vi communicataæ sibi, jamque pleniùs exerendæ omnipotentiæ, id præstare velit, atque actu præstiturus sit, ut cum alijs ex parte divinæ naturæ & vi immensitatis non possit non esse omnipræsens; jam etiam ex parte alterius naturæ humanæ præsens sit in universa per totum terrarum orbem dispergenda Ecclesia, usque ad finem mundi. Circa 2. monemus, perperam contradistingvi præsentiam gratosam præsentiaæ Christi substantiali, cum illa cum hac bene consistat: ut patet ex omnipræsentia Dei in credentibus. Ut taceam, laudatum Autorem sibi ipsi adversari, dum dicit, locum non debere intelligi de certa aliqua natura, & ipse tamen ad naturam divinam adstringit, quæ quomodo simul stare possint, non appetet.

§. V. Quod verò non Ecclesiam duntaxat, sed totum universum præsenter gubernet, illud clarissimè evincit dictum Paulinum Epes. IV, 10: Qui descendit, idem ille.

D

est,



est, qui etiam ascendit supra omnes cœlos, ut impleret
omnia; cum quibus verbis conjungendus est locus Jeremiæ
c. XXIII, 24, ubi Deus de se dicit, quod cœlum & terram
impleat. Si enim Christus in Ecclesia tantum præsens es-
set, tunc non posset dici omnia implere; sicut Deus non
posset dici cœlum & terram implere, si in Ecclesia tan-
tum præsens adesset. Dicis: Ergo sicut Deus necessariò
præsens est, & per immensitatem suam, sic quoque Chri-
stus omnipræsens erit. Resp. ex ll. cc. probatur tantum
DEUM & Christum omnia implere, sive substantiali-
ter omnipræsentes esse, fundamentum verò cui omni-
præsentia innitatur, ibi non monstratur, sed aliunde cognoscendum est. Quod verò Paulus l. c, de Christo secundum
humanam naturam loquatur, inde manifestum est, quia
ipsi tribuit descensum & ascensum, qui divinæ Christi naturæ
non convenit. Atque ita h. l. etiam explicat Theophylactus,
inquiens: *Uit omnia impleat dominatione operationeg̃, idq̃*
in CARNE, quandoquidem divinitate jam antea cuncta
compleret. Et B. Dannhauerus in *Hodos.* p. 783. scribit:
Finge de Deitate hoc dici, talis prodibit hinc abortus: Chri-
stus humana natura ascendit in cœlos, ut Deitate omnia
impleat: tanquam ascensione ideo opus habuisset, ut ea natura,
quā jam ante ascensionem omnia impletisset, omnia imple-
net.

¶. VI. Tertium argumentum desumimus à fessio-
ne Christi ad dextram Dei Eph. I, 20. Ps. CX, 1, 2: unde
argumentum: Quicunque sedet ad dextram Dei omnipræ-
sentem, is est omnipræsens. Atqui Christus secundum
humanam naturam sedet ad dextram Dei omnipræsentem.
E. Christus secundum humanam naturam est omnipræsens.
Excipiunt adversarii, inde etiam evinci posse, humanam
naturam esse infinitam & immensam, ita colligendo: Qui-
cunque sedet ad dextram Dei infinitam, ille est infinitus.
Atqui Christus sedet ad dextram Dei infinitam E. Resp.
argumentum tantum procedit à fessione ad præsentiam:
ubi

ubi negari non potest , quisquis alicubi federit , præsentem ibi esse , ubi sedet : atque ita si quis fede-
re dicatur ad dextram , quæ non est uno loco defini-
ta , sed ubique , hoc ipso eundem esse præsentem ubique .
Alia autem ratio est , si omnes affectiones ejus , ad quod
quis sedere dicitur , considerare , & denominativè ad seden-
tem applicare deoque eo prædicare velis . Ita rectè con-
cludo : Quicunque sedet in throno vel folio Papæ quod
Romæ est , ille Romæ est præsens : non autem proce-
dit : Qui sedet in folio eburneo vel argenteo , is est ebur-
neus vel argenteus ; ut ita adversarii hac sua instantia nihil
efficiant .

§. VII. Hic non prætereundum , quod Braunius
l.c. scribit : Ineptè argutantur : Dextra Dei est ubique ,
Christus sedet ad dextram Dei , E. Christus est ubique .
Nam præterquam quod hic Syllogismus quatuor habeat ter-
minos , tamen , si vel maximè esset legitimus , nihil aliud con-
cluderetur , nisi quod persona sit ubique , non autem natura
humana . Nam ejus persona sedet ad dextram Dei , non au-
tem ejus natura . Adde eodem modo argumentari me posse :
Manus Dei est ubique , anima Lazari est in manu Dei .
E. &c. Quod ad hoc attinet , equidem negari nequit , quod
nonnulli tali argumento usi sint , & constat de B. Dieterico ,
quod illud pro legitimo habuerit , docens , quod medium
terminum aliquando inflectere liceat . Voluerunt nimirum
loco majoris propositionis , quæ expressè proferenda erat ,
fundamentum tantum ejus memorare : quod videlicet , cùm
admittitur , dextram Dei esse ubique ; (non autem certò loco
comprehensam ;) illico sequi putarent ; eum , qui ad dex-
tram Dei sedet , hoc ipso esse ubique , ubi est dextra Dei .
B. Keslerus tales Syllogismos vocavit Crypticos , qui qui-
dem in se vitiosi sint , sed concludant virtute aliorum .
De modernis autem Theologis non constat , quod ali-
quis illam argumentandi rationem , vel usurpaverit , vel
probaverit : unde frustra per vitium hujus Syllogismi , quod



per similem detegit, Braunius vim argumenti nostri eludere conatur. Sed minorem etiam impugnat, inficiatus, Christi humanam naturam sedere ad dextram Dei, sed hanc sessionem competere toti personæ, ut inde omnipræsentia carnis Christi probare nequeat. Verum, ut taceam, quod Nostrates non dicant, naturam humanam sedere ad dextram Dei, sed Christum, quæ naturam humanam; illud sicut falsissimum est, quod juxta Scripturam tota Christi persona ad dextram Dei sedeat: hæc enim sessio denotat statum exaltationis: jam si persona Christi tota collocata esset ad dextram, tunc divina quoque natura exaltata esset, quod ineptum esse, contra alium recentiorem Reformatum ostendit maximè Reverendus Dn. D. Velthem / Patronus ac Præceptor perpetim devenerandus in Fontibus Theol. Universæ Loc. de Mysterio Incarnat. p. 254. & 259.

§. IIX. Nunc paucis etiam considerabimus argumenta à tribus Theologis Reformatis opposita. Braunius l.c. p. 527. XXXI, objicit, omnipræsentiam naturæ humanae repugnare. 1. sanæ rationi (1. quia omne corpus est finitum & limitatum, adeoque conscriptum. Quod autem habet fines, limites & circumscriptionem, illud non potest esse in infinitum extensum. (2. Christus non haberet verum corpus humanum; sed aliud aliquod, planè monstrosum. (3. daretur penetratio dimensionum, id est, corpus penetraret aliud corpus, adeoque duo corpora essent in eodem loco: id est duo corpora essent unicum tantum, quod est manifesta contradictione. Ad quæ resp. omnipræsentiam non sanæ rationi, sed corruptæ tantum, & obsequium fidei detrectanti repugnare: in specie, quod 1. attinet, si tres voces, finitum limitatum & circumscriptum ita accipiat, ut opponantur in infinitum extenso, tunc aërem verberat adversarius. Quis enim unquam ex Nostratis dixit, Christi corpus esse infinitum aut in infinitum extensum? vid. supra Sect. II. §. 3. Neque ex eo, quod omnipræsentem statuimus humanam naturam infinitas colligi potest, prout alii faciunt ex Re-



formatis , cùm illam non derivemus ex infinitate , sed ex omnipotentia Christi ejusque libera voluntate. Huma- na Christi Natura est & manet finita ; quô tamen non ob- stante , multis in locis præsens sisti potest , cuius rei im- possibilitatem nondum probarunt Reformati. Circa 2. op- tarim , ut pluribus mentem suam explicasset Auctor , unde meritò ab ipso desideratur probatio consequentiae , ut osten- dat , quomodo verum corpus humanum destruatur per præsentiam in pluribus locis , ita ut monstrorum fiat. Sa- nè multi ex Pontificiis , alioqui unum cum Reformatis cornu hîc inflantes , concedunt , per omnipotentiam Dei corpus aliquod pluribus in locis præsens esse posse , idque sine ulla monstrositate. conf. Dannhauer. *Hodos.* p. 785. Sed videtur Braunius hîc iterum ad priorem hypothesin redire , & corpus Christi ideo monstrorum futurum inferre ; quod præter staturam aut quantitatem naturæ congruam extendi oporteat usque ad æqualitatem hujus universi in quantitate aut mensura. De 3. monemus , autorem , ut habeat , quod refutet , falsò supponere , ac si nos inclusio- nem localem statuamus , quasi corpus Christi in aliis cor- poribus localiter includeretur. Sed sicut hæc nunquam fuit Nostratum sententia , ita frustra inde penetratio di- mensionum infertur. Deinde hoc argumentum agit de modo omnipræsentiae , quem nos ignorare sponte fatemur. Sed à negatione modi ad negationem rei ipsius non valet consequentia : alioqui etiam Dei omnipræsentia esset ne- ganda.

§. IX. Objicit porro idem Autor: II. repugnat S. Scripturæ (1 quia docet , Christum fuisse gestum in utero ma- terno , & fasciis involutum , quod repugnat omnipræsentiae. (2 dicit , eum post mortem fuisse in sepulcro. (3 in certis quibusdam locis tantum fuisse , & non alibi Job. II, 15 &c. (4 non amplius est in terra , post ascensionem in cœlos. Nam si adhuc esset in terra , ne Sacerdos quidem esse posset Ebr. IIX, 4. Matth. XXIV, 26. Col. III, 1. 2. 2. Cor. V, 6, 8. Act. III, 21.

D 3

Sed



Sed sicut ante vidimus, omnipræsentiam humanæ Christi naturæ non repugnare sanæ rationi, ita multò minus repugnat Scripturæ, nec id Autor probavit. Quod enim ad tres priores numeros attinet, illi non tangunt statum controversiæ, cùm agant de statu exinanitionis, nos autem supra §. 2. præsentem controversiam tantùm ad statum exaltationis restrinxerimus. Nec ultima ratio aliquid probat. Christum post ascensionem non amplius in terra esse, secundùm quid verum est, dum non amplius visibiliter præsens est, quo non obstante, invisibiliter & modo supernaturali præsens esse potest. Locus *Ebr.* IIX, 4. contra scopum Apostoli huc trahitur. In cit. cap. ostendit Paulus eminentiam Pontificis Christi, præ Pontifice V.T. & sensus verborum hic est: Si Christus esset in terra, h.e. si adhuc ministraret in tabernaculo terreno, seu: si esset Sacerdos terrenus, ne Sacerdos quidem esset, talis scilicet, qui æterna bona nobis impetrare posset, adeoque nec esset excellentior præ Sacerdotibus V.T. Sed quomodo hæc faciunt ad negandam Christi omnipræsentiam? Locus ex *Matt.* XXIV, 26. agit tantùm de visibili præsentia. Verba *Col.* III, 1, 2. nobis potius patrocinantur, quam adversantur, dum Christus ibi sedere dicitur ad dextram Dei. vid. §. 6. Ex 2. *Cor.* V, 6 & 8 id tantùm sequitur, nos hac in terra non ita esse cum Christo, ut statum beatitudinis completæ possideamus. Sed quid hoc ad præsens? Quod verò ad locum *Act.* III, 21 attinet, verba ejus sunt ambigua, & subjectum enunciationis rectius per relativum ὅν exprimi dicitur, quam per vocem ἀρχέγονον, ob defectum articuli, ac sensus est, quod Christus occupaverit cœlum; non quod cœlum intra se concluserit Christum. Et si vel maximè hic esset sensus: Cœli receperunt Christum, quis inde legitimè concluserit: ergo ita includunt Christum & comprehendunt, ut extra cœlum non possit esse præsens?

§. X. Jam ad *Heidanum* venimus. Is quidem seorsim hanc doctrinam non impugnat; sed dum in genere contra

se-

309



secundum communicationis idiomatum genus disputat; simul aliqua profert, quæ ad præsens spectant. In antecedens autem monemus, videri hunc autorem de industria rem intricare voluisse, dum p. 539. l. c. quæstionem ex mente Nostratium format de statu exaltationis, & tamen deinceps impugnat omnipræsentiam in statu exinanitionis. Quæstio ergo est, inquit, an humana Christi natura, ex Gratia Unionis verè & re ipsa evaserit omnipotens, omnipræsens &c. ita, ut inde à primo Conceptionis momento Proprietates istas verè habuerit, saltem actu primo, licet non secundo, id est, licet eas in statu Exinanitionis non ita exercuerit & usurpaverit, uti postea in statu Exaltationis factum est &c. Nihilominus, sui quasi oblitus, statim ita argumentatur: Si Caro Christi Omnipræsentia &c. in ipsa Unione, & primo Conceptionis momento verè particeps est facta: falsum erit, quod de Conceptione & gestatione ejusdem in utero Unius Virginis, deg̃ Nativitate ex ipsa sola credimus. Tum enim non potuit ille Fœtus unico Mariæ utero contineri, utpote ubique præsens. Resp. si vel maximè statueremus, Christum in statu exinanitionis omnipræsentem fuisse, hæc tamen contra nos nihil efficerent, cùm illi, quod est ubique, non ubique statim actio aliqua tribui possit vel debeat. Nam e.g. Spiritus S. tanquam verus Deus est ubique; non tamen, quando naturam Christi humānam in utero Mariæ virginis formavit, eam in omnibus uteris formasse dici posset. Sic licet humana natura alibi etiam fuisset præsens, rectè tamen dici posset in utero Mariæ tantum concepta esse & gestata. Sed rectius remittimus Autorem ad statum controversiæ, quem si teneat, argumentum non est contra nos. Pergit Heidanus: Dicunt illocalem & hyperphysicam esse carnis Omnipræsentiam, quæ non pugnet cum locali & physica ejusdem quantitate — Fuisse itaque Omnipræsentem actu primo, non secundo. Ad quæ excipit: i bīc Principium peti, & Contradictionem implicari, quatenus eodem tempore Uni & Eadem carni duplex



plex, isq; contrarius Existendi modus tribuitur, localis & illocalis. 2 Duplex actus in simplece Dei Essentia, seu Proprietatibus essentialibus distingvitur. 4 (num. 3 de industria omitto, quia tantum de simili agit) Quatenus omnibus Creaturis verè præsens fuisse negatur; qui tamen cādem Omnipræsentia, quam λόγος ipse per Naturam habet, omnipræsens fuisse dicitur. Resp. ad 1: Distinctio inter præsentiam illocalem seu hyperphysicam, & localem seu physicam ab illis adhibetur, qui omnipræsentiam in statu exinanitionis admittunt: quorum sententiam licet nostram non faciamus, negamus tamen, eam contradictionem involvere: quamvis enim præsentia physica & hyperphysica humanæ naturæ eodem tempore tribuatur, non tamen hoc fit eodem respectu, dum physicè præsens fuisse dicitur per naturam, hyperphysicè autem per unionis gratiam. Num. 2. & 4. (quos meritò conjungimus, quia posterior priorem explicat) facile eludimus. Quia enim non unam numero omnipræsentiam utriusque naturæ esse asserimus, hinc duplex actus primus & secundus, in simplici Dei essentia nobis objici haut debet. Alia, quæ moneri poterant, volentes præterimus.

§. XI. Sed adhuc alias rationes Heidanus nobis opponit p. 539. III. Quomodo de loco in locum fuit progressus, alicubi dicitur non fuisse? Job. VI & XI. Matth. XXIX Surrexit non est hic. Non enim potest una res simul habere duos contrarios Existendi Modos, nisi habeat duas contrarias essentias. Qualis enim Essentia, talis & ejus Existentia. Resp. Iterum non tangit autor statum controversiæ, dum de exinanitione loquitur. Quodsi verò posteriora verba ad statum exaltationis applicare quis voluerit, tunc concedimus quidem Heidani assertionem, sed sicut non statuimus contrarios existendi modos in Christo, ita nec duæ essentiæ contrariæ ex sententia nostra colligi possunt aut inferri. Visibilem & invisibilem, naturalem & supernaturalem, non tamen prorsùs secundūm idem, Christo omnipræsentiam ad-



adscribimus in statu exaltationis , pendentem à libera Christi
hominis voluntate , ejusque omnipotentia ; non ex infinitate,
quam secundum humanam naturam non habet : ex qua
sententia nec duo contrarii existendi modi, multò minùs con-
trariæ essentiæ elici possunt.

§. XII. Porrò objicit Heidanus num. V omnipræ-
sentiam pugnare cum Resurrectione & Ascensione in cœlos.
VI cum Christi exaltatione : Quomodo enim , inquit, Deus
majorem illi Gloriam dare potuit , qui jam vi Hypostatitæ
Unionis omnem Deitatis plenitudinem habuit. Qui omnia
habet , illi nihil amplius conferri potest , Quod Meum est,
non amplius potest fieri Meum. VII Imaginarium futurum
esse Christi redditum. Resp. Omnia hæc frustra dicuntur.
Omnipræsentia Christi hominis non pugnat cum resurre-
ctione & ascensione , quia demum post utramque cœpit .
Nec pugnat cum Christi exaltatione , quod saltim ex hoc
patet. In statu Exinanitionis Christus non exercuit actua-
le dominium in hoc universum , secundum humanam na-
turam , quod cùm ipsi per sessionem ad dextram obti-
gerit , manifestum hinc est , Christo in statu exaltatio-
nis collatum aliquid fuisse , quod ante non habuit .
Tandem nec pugnat cum reditu Christi ad judicium. Tunc
enim Christus modo visibili & speciali redibit , qui particu-
laris præsentiae modus universalis ejus præsentiae nihil deroga-
t.

§. XIII. Paucis adhuc consideranda sunt , quæ
Petrus van Mastricht nobis opposuit. Ille l. c. p. 107. ita
scribit : Quæritur quartò , an ex hac unione , ubiunque
existit ὁ λόγος , ibi etiam existat caro ? Reformati ne-
gant , eò quod (1) Scriptura disertè neget Joh. XI, 15, 32.
Luc. II, 12. 42. Marc. XVI, 6. Job. XVI, 28 & XVII, 11.
Ebr. II, 4. &c. (2) articuli fidei nostræ multis modis
reclament. Sic enim (a) quoad humanam naturam , non
esset nobis per omnia similis (b) non potuisset nasci , ac
prodire ex utero materno. (c) non potuisset mori , per
E
se-



separationem corporis ab anima. (d) non potuisset resur-
gere. (e) non posset reverti ad judicium. Omnia enim
ista, restrictam ad unum locum, carnis Christi præsentiam
præsupponunt. Non addam (3) quod per adæquatam i-
stam, carnis & λόγος coëxistentiam, caro Deus fieret. Sed
hæc non multum negotii nobis facessent, cùm maxi-
mam partem jam sint discussa. Minus verò candidè agit,
quando quæstionem ita format: an ex unione omnipræ-
sentia Christi secundùm carnem fluat? & affirmativam
Lutheranis promiscuè tribuit. Nam latere Autorem non
potest, quod Nostrates Saxonici & Hassiaci, aliquæ ple-
riique fundamentum omnipræsentiaæ adæquatum non col-
locent in unione, sed simul & imprimis in exaltatione
Christi & sessione ad dextram Dei. Quod autem atrinet
(1) ad loca Scripturæ, de ultimo (ut ordine retrogra-
do progrediar) Ebr. IIX. dictum jam in §. 9. Verba
apud Joh. XVII, II. nîl juvant adversarium. Per mun-
dum enim non intelliguntur hæc inferiora seu terra, sed
miseria, status perversus, vita hominum corrupta &
depravata. Id patet non tantum ex vers. 9, ubi Christus
dicit, se non orare pro mundo; sed etiam ex inten-
tione Salvatoris. Nam motivum hîc affert, quo Deum
permovere vult ad exaudiendas preces suas pro discipu-
lis fusas. Ratio hæc est: Ego abeo, & non amplius
ero in mundo, ipsi autem sunt in mundo. Jam si in
mundo esse, hîc idem esset, ac in hac terra præsentem
esse seu existere, quomodo Christus hanc rationem, tan-
quam peculiarem, pro discipulis adducere posset, cùm
hoc modo omnes homines sint in mundo? Aliter ergo
verba exponenda sunt, hoc scilicet modo: Ego, post
passionem & mortem, non amplius expositus ero homi-
num persecutionibus, eorumque malitiæ obnoxius; erunt
autem discipuli, mei in officio successores. Ideò eos
tuere, protege & conserva. Jam quæ consequentia:
Christus non amplius expositus est insidiis & persecutio-
nibus



nibus hostium E. non est omnipræsens? In cap. XVI.
Joh. v. 28. Christus loquitur de præsentia visibili. Sed
à negatione præsentiae visibilis ad negationem præsentiae
in genere non valet consequentia. Reliqua dicta loquuntur
de Christo exinanito, adeoque nobis non adversantur.
Quod (2) ad articulos fidei attinet, negamus ul-
lum ullo modo reclamare. Quando in probatione Au-
ctor dicit, Christum, si quā humanam naturam omni-
præsens esset, juxta eam nobis non esse similem per omnia,
illa collectio plane indigna tali viro videtur. Similem
in modum argumentari liceret: Si Christi humana natu-
ra sedet ad dextram Dei, nobis non per omnia similis est.
Si Christus in statu exaltationis dominatur huic univer-
so, & erit judex universalis; Ergò nobis non per omnia si-
milis est. De nativitate, morte, resurrectione Christi
jam monitum est, quod partim ad statum Exinanitionis,
partim ad statum Exaltationis inchoatum pertineant, un-
de contra nos inde nullum potest argumentum desumi.
Sed & de reditu Christi ad judicium diximus §. 12.
Quod tandem (3) addit, per adæquatam istam carnis &
 $\lambda\circ\gamma\circ\delta$ coëxistentiam, carnem Deum fieri, id omni destitui-
tur fundamento. Non enim omnipræsentiam humanæ
naturæ tribuimus ob infinitam ejus essentiam aut virtutem,
quam formaliter habeat: hanc enim non asserimus; sed
derivamus ex omnipotentia Christi ejusque libera volun-
tate, quæ duo naturam finitam in infinitam, seu carnem
in Deum, quomodo convertant, non sanè appareat. Il-
lud quoque non silentio prætereundum, quod dicit adver-
sarius, Lutheranos unionem personalem & omnipræsen-
tiam Christi fingere in gratiam oralis manducationis in
Sacra Cœna: hoc enim falsissimum esse iterum iterumque
dicimus. Fundamentum præsentiae Christi realis in Sacra
Cœna & oralis manducationis, Lutherani non ponunt in
unione personali, sed in verbis institutionis perspicuis
& clarissimis. Quod fundamentum hactenus immotum,

E 2

stat,




stat, stabitque semper) contra omnes adversariorum insul-
tus. Cæterum, ut hoc addam , animus erat plura, &
prolixiori studio elaborata de hoc argumento dare , sed
quoniam ob intercedens impedimentum brevitati studen-
dum fuit , atque abitus ex hac Academia maturan-
dus est, impræsentiarum hæc qualiacunque
sufficient.

S. D. G.




312





Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres



B.I.G.

25

Q. D. B. V.

ATIO THEOLOGICA
DE
NIPRÆSEN.
CHRISTI SE-
UMCARNEM

QUÆ
SUB PRÆSIDIO
VILIELMI BAJERI
DOCT. ET PROFESSORIS PUBL.
S THEOL. hoc tempore DECANI,

vandi, *Præceptoris omni ho-*
cultu etatèm devenerandi

licè ventilapda proponitur

AB AUCTORE RESP.

RAHAMO KROMAYERO

hrdruffio - Thuringo

unii A. M DC LXXXI.

Juni 1691

H. L. Q. C.



JENÆ,
is GOLLNERIANIS.

